Adam et Evam non fuisse salvos. — Superest ergo tertium punctum de salute æterna Adæ, quod sine dubio distinctum est a præcedente. Potuit enim Adam primi sui peccati remissionem consequi, et nihilominus postea damnari : sicut nunc plurimi homines sæpius præcedentium peccatorum veniam obtinent, et tandem postea damnantur, quia cum finali impœnitentia aliquorum peccatorum, vel alicujus ultimi peccati mortalis, moriuntur. In hoc ergo puncto fuit antiqua sententia cujusdam Tatiani, qui dixit Adam et Evam damnatos esse. Ita referunt antiquissimi Patres. Irenæus, l. 1, cap. 31, et l. 3, cap. 39, a quo idem sumpserunt Tertullianus, lib. de Præscript. hæret., cap. ult., et Epiphanius, hæres. 46, et Augustinus, hæres. 25, et Eusebius, lib. 4 hist., cap. 25, et Philastrinus, in catolog. hæresum in 1, sub titulo de hæresibus, quæ post Apostolos extiterunt. Qui omnes non solum dicunt assertionem illam ab homine hæresiarcha, qualis fuit Tatianus, fuisse primum probatam, sed etiam ipsam, ut hæreticam damnare videntur. Et ita illorum Patrum sententiam exponit, et sequitur Castro, verbo Adam, hæresi 1, dicens: *hanc sententiam esse hæreticam ob communem Patrum consensionem, licet ex Scriptura probari non possit clare, sed per quasdam probabiles deductiones.* Quas ibi ex Iræneo adducit, et alias ipse addit, quæ certe ad convincendam de hæresi sententiam illam in sensu dicto, parum efficaces videntur, ut ostendam.

11. *Ruperti sententia bipartiti fundamenti. — Secunda pars fundamenti suadetur.* — Hinc ergo Rupertus, lib. 3, in Gen., cap. 31, putat non esse de fide Adam esse sanctum et beatum, tum quia ex nullo testimonio sacræ Scripturæ id colligitur : tum quia nec definitio Ecclesiæ de hujusmodi assertione lata est, hæc posterior pars ostendi potest. Nam quod Castro de communi consensu Patrum allegat, non cogit. Primo quidem, quia non omnes Patres referentes hæreses Tatiani, hanc inter illas numerant. Omiserunt enim illam Hieronymus, in catal. script. eccles. in Tatian. Et Theodoretus, l. 1, hær. fabul. in eodem, et Damascenus, de hæres. Secundo, quia licet Augustinus et alii referendo alias hæreses Tatiani, hanc assertionem addant, non dicunt in particulari esse hæreticam, sed Augustinus simpliciter dicit de Tatiano : *Saluti primi hominis contradicunt.* Tertio, quia Irenæus et Epiphanius qui maxime id significant, in alio sensu loqui videntur, ut statim exponendo eorum rationes, dicam in numero 13. Quia in illo efficaces esse non possunt. Ergo non est cur sententia illa Tatiani ex hac parte possit, ut hæretica, damnari. Et hanc etiam partem confirmat Augustinus, in Ep. 99, ad Evodium, dicens : *Ecclesiam fere totam consentire Christum, cum ad inferos descendit, inde Adamum liberasse,* ubi addens particulam *fere* aperte fatetur, non esse totius Ecclesiæ absolutum consensum. Unde non concludit, esse de fide, sed tantum ait, *quod eam* (id est, Ecclesiam) *non inaniter credisse, credendum est :* significans profecto, tantum esse rem non inaniter creditum, non tamen omnino certam.

12. *Suadetur prior pars.* — Deinde priorem partem de Scriptura probat Rupertus. Quia si aliquis esset sacræ Scripturæ locus, maxime esset ille Sapient. 10. Ille autem non convincit: ergo. Minorem probat ipse, quia liber ille canonicus non est, ut de illum mendacii arguit : quia statim de Adamo dicit : *Deum dedisse illi virtutem continendi omnia,* quod de solo Christo vere dici poterat. Sed jam sententia Ruperti, quoad hanc partem, hæretica est. Nam (ut dixi) definitum est, illum librum esse canonicum. Imo etiam multo ante Ruperti tempora a multis Conciliis, et ab Augustino, aliisque Patribus liber ille inter canonicos habebatur et numerabatur. Et verba illa : *Dedit illi virtutem continendi omnia,* verum et facilem habent sensum, nimirum dedisse Deum Adamo potestatem gubernandi hæc inferiora omnia, et dominandi cunctis animantibus terræ, maris et cœli, ut habetur Gen. 1. Nam verbum *continendi* in Græco idem, quod dominandi significat. Dantur etiam alii sensus illorum verborum, sed necessarium non est in hoc immorari. Quocirca in hoc, quod Rupertus non solum negat probari ex Scriptura salutem æternam Adæ : sed etiam negat probari remissionem peccati, et illius pœnitentiam, multo gravius erat, ut in tertia assertione dixi. Sine errore tamen in fide posset dubitare, an salutem æternam fuerit consecutus : etiamsi fuerit eductus a delicto suo, quia non est certum, postea non peccasse, neque fuisse damnatum. Et videtur significasse Augustinus, in dicta Epist. 99, ubi ad confirmandum æternam salutem Adæ adducit, testimonium illud, solum ut probabile, dicens : *Hoc, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videtur.* Quod ego intelligendum puto respectu salutis æternæ, nam respectu remissionis prioris peccati sensus est certus, et omnino necessarius. Ex illo autem colligere æternam salutem, solum est

per conjecturam verisimilitudinem, ut infra deducam.

13. *Quibus aliis Scripturæ locis Irenæi contendat probare æternam salutem Adæ. — Quibus item Castro, sed defectuose.* — At vero Irenæus supra ex aliis Scripturæ locis veritatem dictam confirmare conatur. Dicit enim Paulus 1, Corinth. 15 : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Unde colligit : *Si filii Adæ per Christum liberantur, multo magis ipsum Adam fuisse liberatum.* Nam cum Christus venerit ad expugnandum dæmonem, et quos tenebat captivos, Adamum scilicet et filios suos redimendos, injustum videretur filios Adæ, et non parentem ipsum a captivitate liberare. Deinde, quia si Adam adhuc serpenti subjectus est, res successisset juxta serpentis nequitiam, et non juxta voluntatem Dei : et sic Deus quodammodo esset a serpente victus. Quod videretur esse contra illud Pauli ad Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Inducit etiam Iræneus, in l. 3, c. 38, illud 1, Cor. 15. *Stimulus peccati, mors : ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Nam solum peccatum Adæ fuit stimulus mortis, et ideo non poterat id juste dici, si non ille liberatus fuit, cui primum dominata est mors, illius enim salus, evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, id est, Adam, evacuata est mors.* Hæc Irenæus. Quibus nonnulla alia addit Castro supra. Semper tamen in hoc deficit, quod non distinguit inter remissionem primi peccati, et consecutionem æternæ salutis; quæ valde diversa sunt, ut declaravi.

14. *Prima pars resolutionis auctoris circa tertium punctum.* — Addo præterea distinctionem aliam esse hoc loco necessariam, ut rationes vim habeant ad confutandum proprium sensum illius erroris, et veritatem catholicam, ut omnino certam ostendendam. Duobus enim modis potest intelligi Adamum fuisse salvatum per Christum, scilicet quoad sufficientiam, vel etiam quoad efficaciam, quorum terminorum significationem, tanquam notam, ex materia de Incarnatione suppono. Tatiani ergo sententia fuisse videtur Adamum neutro modo fuisse a Christo redemptum, ac proinde non solum salvum non esse, verum etiam nec peccati veniam fuisse consecutum. Imo non tantum de facto hoc beneficium non obtinuisse, verum etiam nec potuisse justificari aut salvari. Quod indicasse videtur Tertullianus, d. lib. de Præscript., cap. 52, dicens, Tatiani errorem fuisse, *Adamum salutem consequi non potuisse,* et Irenæus, dum ait : *Eos qui contradicunt saluti Adæ, consequenter dicere, non invenisse Christum ovem perditam.* Hæc enim in alio, quam in prædicto sensu vera esse non possunt. Quia optime potuit Christus redimere genus humanum totum, et consequenter invenire ovem perditam : etiamsi Adam cum effectu nec salvatus esset, nec pœnitentiam egisset. In hoc etiam sensu bona est illatio, quam Epiphanius facit. *Si Adam non salvatur qui est massa subjecta, neque quidquam ipsius massæ salvatur.* Quæ in alio sensu nullius esset momenti : quia licet Adam efficaciter non salvaretur, possent alii salvari, supposita universali redemptione pro omnibus sufficiente. Unde subdit inferius Epiphanius : *Quomodo non salvatur Adam, quem tamen pro desperato habes, quando ipse Dominus noster Jesus Christus, ubi venit in mundum, mortuos suscitat,* etc. Denique in hoc sensu merito inter gravissimas hæreses illa Tatiani numeratur : et ex dictis loci Pauli convincitur efficaciter, et aliæ omnes rationes ad hunc sensum optime accommodantur.

15. *Secunda pars ejusdem resolutionis. — Ostenditur explicando quæ allata sunt ex Scriptura, n.* 12 *et* 13. — At vero supponendo Adamum fuisse a Christo redemptum, et per meritum ejus potuisse salvari : et tractando de solo effectu salutis æternæ, et efficaci applicatione meritorum Christi ad hunc effectum consequendum, sic fateor, nullum esse in Scriptura testimonium, quo possit convinci hæc assertio, ita ut dicere possimus Adamum esse in sacra Scriptura canonizatum tanquam sanctum et beatum. Nam loca Pauli, Rom. 5, et 1 Corint. 15, et similia quæ sunt de universali redemptione Christi, probant quidem salutem Adæ quoad sufficientiam, et quantum ex parte Christi considerari potuit, non tamen quoad efficaciam, quatenus ab ipso Adamo pendet. Locus autem Sap. 10, qui merito censetur unicus in hac materia, licet efficaciter probet justificationem Adæ a prima transgressione sua, non tamen convincit, mortuum fuisse in gratia, quia potuit postea peccare, et non resurgere, ut objectum est.

16. *Tertia pars probatur ex Patribus.* — Sed nihilominus etiam in hoc sensu assertio est certa et contraria, si non est simpliciter hæretica, ad illam proxime accedit, et erronea censenda est. Ad hoc enim sufficit fere communis consensus totius Ecclesiæ, de quo Augustinus testatur. Unde idem Augustinus, l. 2, de Peccat. mort., cap. 34, de primis hominibus ait :

Post peccatum juste vivendo, merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, ubi non ait tantum *a suo peccato*, sed *ab extremo supplicio*, et cum dicit, *creduntur*, non de opinione, aut fide tantum humana, sed de fide Christiana loqui videtur. Præterea Hilarius, in Ps. 119, *Adam* (inquit) *veniæ reservatus et glorificatus in Christo est*, et Hieronymus ad Ephes. 4, in illa verba : *Recapitulare omnia in Christo*, dicit, quod *Adam, e Paradiso ejectus, per Salvatorem revocandus erat*. Unde Matth. 20, inter primos Patriarchas illum numerat. Et cap. 16, in fin., dicit : *Adam primum liberatum esse per Adam secundum*. Et Nazianzenus, orat. 31, circa cap. 19 Matth., de Adam et Eva dicit : *Utrumque serpens decepit : utrumque Christus passione sua salute donavit*, et idem fere habet orat. 39, circa fin., et indicat Tertullianus, l. 2, contra Marcion., cap. 10.

17. *Accedunt Leo papa et Anselmus.*—Atque hinc Leo IX, in cap. *Hi duo*, de Consecrat., distin. 1, dixit : *In Christo resurgente, resurrexit lapsus ille Protoplastus :* et Anselmus, l. 2, *Cur Deus homo*, cap. 16, circa medium. *Adam* (inquit) *et Evam ad illam pertinuisse redemptionem, dubitandum non est*. Loquitur autem de redemptione non solum quoad sufficientiam, sed etiam quoad efficaciam, quia subjicit. *Quamvis hoc auctoritas divina aperte non pronuntiet ;* etenim redemptionem omnium, et consequenter etiam parentum primorum, per Christum sufficienter factam, apertissime divina auctoritas pronuntiat : efficacem ergo dicit Anselmus non aperte pronuntiare : quia (ut dixi) licet de remissione peccati Adæ aperte loquatur, non ita de perseverantia in gratia. Subdit tamen Anselmus optimam congruentiam, dicens : *Incredibile quoque videtur, quando Deus illos fecit, et proposuit immutabiliter, facere de illis omnes homines quos ad cœlestem civitatem assumpturus erat, quod illos duos ab hoc excluserit proposito*.

18. *Item Athanasius et alii.* — Idem confirmat late Athanasius, serm. de Passion. et cruce Domini, ante medium, ubi referens antiquam traditionem, quod Adam fuerit sepultus in Calvariæ loco, addit : *Quod si ita se res habet, miror loci proprietatem, congruum enim erat Dominum, cum vellet revocare primum Adam, in eo loco pati*, et infra : *Necesse enim est, resurgente Salvatore, resurgere etiam cum eo, et ipsum Adamum*. Unde omnes Patres qui dixerunt Adamum fuisse sepultum in loco Calvariæ, sentiunt, non sine mysterio esse factum : quia Adam efficaciam sanguinis primus experturus erat, ut specialiter explicavit Epiphanius, hæres. 46, et alios allegavi in 3. p., q. 46, art. 10, in Comment. Et simile mysterium in sepulchris posteriorum Patriarcharum considerat Augustinus, q. ibid. in Gen. Possunt etiam hic addi Patres, qui scribentes de descensu Christi ad inferos, et reditu ejus, primum numerant Adam inter eos, qui cum Domino surrexerunt. Illa enim duo jungit Athanasius ibi : et idem habet Origenes, tract. 85, in Matth., circa cap. 27, aliquantulum ante finem. Et Cyprianus, serm. de Resurrect. Domini ; et optime Macharius, hom. 11, et recentiores passim.

19. *Corroboratur tandem eadem tertia pars ponderando amplius citatum locum Sapient.* 10. — Ex quibus omnibus constat, nunc non solum esse verum, quod Augustinus dixit, fere universam ecclesiam ita sentire de salute Adæ, verum etiam, totam Ecclesiam absolute in hanc sententiam jam conspirasse. Addo etiam, dictos Patres tacite interpretari verba illa Sapientis, *Eduxit illum a delicto suo*, ut non solum de eductione ad statum gratiæ, sed etiam ad statum gloriæ intelligenda sint. Et revera est valde consentaneum intentioni Sapientis : concluserat enim in cap. 9 : *Per sapientiam sanctos esse quicumque placuerunt Domino a principio, et in omni præterito tempore*. Et statim in principio cap. 11, incipit numerare ab Adamo. Ex mortuis autem non dicuntur simpliciter placuisse Domino, qui ad tempus aliquod justificati sunt, sed qui in gratia decesserunt : illi enim soli Deo simpliciter placuerunt. Inter hos ergo numerat Adamum : et quia maxime videri posset, ejus saluti obstare posse primum ejus delictum : ideo specialiter declarat per sapientiam ab illo liberatum esse. Additque, *Sapientia custodivit illum*, utique a damnationis malo : propter quod inter sapientes numerari meruit. Denique mihi probabiliter indicatur in illis verbis, Adam, postquam sui delicti pœnitentiam egit, iterum a gratia Dei non cecidisse. Nam loquens Sapiens in singulari, *de suo delicto*, indicat non habuisse aliud, quamvis potuerit etiam per antonomasiam de illo primo peccato singulariter loqui. Denique congruentiæ ad hanc veritatem confirmandam, plures a Patribus afferuntur, eosque referendo satis indicatæ sunt. Neque ulla ratio dubitandi in contrarium occurrit.

20. *Quod de Adamo in hoc secundo puncto resolutum est cum eadem fere certitudine accipiendum de Eva, probatur.* — Solum quæri potest, an idem, et cum eadem certitudine sit de Eva sentiendum ? Respondeo, idem et *fere* cum eadem certitudine esse de Eva sentiendum. Probatur, quia multi ex dictis Patribus de utroque parente expresse loquuntur. Præsertim Augustinus, d. lib. 2, de Peccat. mort., cap. 34, et refertur in capite *Sicut primi*, de Pœnit., dist. 1. Tertullianus, lib. 2. contra Marci., cap. 25, Nazianzenus, orat. 31, et Anselmus, lib. 2 *Cur Deus homo*, cap. 16, quorum verba supra recitata sunt. Eisque addi potest Ambrosius, lib. de Isaac, cap. 5, ubi specialius de Eva loquitur. Unde quamvis Sapiens de solo Adam expresse loquatur, sub illo Evam comprehendit : quia unum veluti ædequatum principium generis humani extiterunt. Item ad hoc ponderat Hugo Victorinus, Gen. 3, verba illa Dei ad serpentem : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum :* ex iis colligens Evam rediisse in Dei amicitiam, et dæmonem tandem vicisse. Estque probabilis illatio. Nam licet illa verba forte non sint dicta principaliter de Eva in particulari, verisimile satis est, illam non fuisse ab illa spe, ac promissione exclusam. Deinde conjecturæ, quas Patres adducunt, de vocatione Dei, et confessione Adæ, et de signis pœnitentiæ in foliis fici, et de victoria Christi contra dæmonem, in Eva locum habent. Nam decuit Christum eripere de manu hostis illam singularem personam, quam dæmon decepit, et per quam virum etiam superavit. Est ergo hæc etiam veritas satis certa. Dixi autem *fere*, et non simpliciter æque certam, propter locum Sapientiæ : et quia Patres frequentius de Adamo specialiter loquuntur. Et quia aliqualis major ratio de Adamo urget, eo quod ille principium totius naturæ simpliciter fuerit, et quia ipsa Eva fuit illi peccandi occasio : nihilominus tamen valde temerarium esset, salutem vel solius Evæ in dubium revocare, cum nulla sit probabilis conjectura, vel dubitandi ratio. Et quæ adduximus ad moralem certitudinem sufficiant.

FINIS LIBRI QUARTI DE AMISSIONE STATUS INNOCENTIÆ.

ELENCHUS CAPITUM LIBRI QUINTI

DE STATU, QUEM HABUISSENT IN HOC MUNDO VIATORES, SI PRIMI PARENTES NON PECCASSENT.

Cap. I. *Quomodo propagarentur homines in statu innocentiæ, si Adam non peccasset.*

Cap. II. *An in statu innocentiæ virginitas perpetuo servanda esset.*

Cap. III. *Nonnulla dubia circa filiorum procreationem in statu innocentiæ breviter expediuntur.*

Cap. IV. *Quanta, et qualis hominum multiplicatio in statu innocentiæ fieret.*

Cap. V. *Utrum in statu innocentiæ homines generarentur perfecti quoad corpora, vel quomodo consummatam illorum perfectionem consequerentur.*

Cap. VI. *Quibus rebus ad vitam conservandam homines in statu innocentiæ uterentur.*

Cap. VII. *Quod genus vitæ corporalis, seu politicæ homines in statu innocentiæ profiterentur.*

Cap. VIII. *An homines in statu innocentiæ nascerentur in gratia, justitia et scientia perfecti.*

Cap. IX. *Utrum in statu innocentiæ omnes homines in gratia confirmati nascerentur, et consequenter an omnes posteri Adami essent prædestinati, solique electi ex illo nascerentur.*

Cap. X. *Dubia quædam circa doctrinam superioris capitis expediuntur.*

Cap. XI. *An in statu innocentiæ, si perseveraret, excellentior esset hominum sanctificatio, quam sit in statu lapsæ naturæ.*

Cap. XII. *An statu innocentiæ durante longo tempore homines in illo permanerent, et quomodo ad cœlestem gloriam transferrentur.*